HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

tum pro erectione murorum. Dicitur et illa die ad sanctum paulum statio agitur. Sic considerandum sunt cetera que a doctis spiritu sancto inspirante in diuinis officiis sunt edita. Quecumque enim ante christi aduentum uel postea in ecclesia illo uel illo tempore contigit [illegible] secundum hoc ieronimus diuinum officium instituit. uel quod stationi congruere uidetur. Sunt .iiii. prime ebdomade .xl. in duo diuise ad sunt de necessitatibus cantantur. et geminum officium celebratur. Ferie quinte in quadragesima proprio officio priuantur. sed de dominicis estiualibus in officiantur. unum et eorum euangelia scilicet de diuite et lazaro. et uidue filio resuscitato in his recitantur. Olim quippe hac feria non ieiunabatur. sed silvestro papa instituente. eas ob multa mysteria ut dominicas feriabant. sed postmodum .xl. sunt coniuncte et a gregorio iuniore in officiate. De dominica quinta.

Dominica .v. a septuagesima quintam etatem insinuat qua populus de captiuitate remeabat. Ideo hac dominica responsorium. pater peccaui cantatur. et euangelium in sabbato de prodigo filio recitatur. Hec et dominica secunda .xl. scitur. quia gentilis populus per doctrinam legis et euangelii. et christianus populus penitens per fidem et operationem uel per duo precepta caritatis ad deum patrem ut prodigus reuertitur. De media quadragesima.

Media .xl. illud tempus innuit quo cyrus populum abire permisit. Hec enim septima dominica a septuagesima cognoscitur. quia post .lxx. annos populus a captiuitate ad ierusalem reuertitur. Unde et congrue officium de ierusalem illa die canitur. Nocturnale uero officium delibatione eiusdem populi de egypto agitur et nostram liberationem designat qua .vi. etate de hoc mundo liberabimur. Sex quippe sunt mundi etates quibus homines hic uiuunt. .vii. qua mortui in sepulchris requiescunt. Quod hac septimana scrutinium agitur. hec causa uidetur. In captiuitate positi. semen suum gentibus miscuerunt. reuersi non incertos sacerdotes habuerunt. Unde esdras et prophete diligentius genealogias scrutati sunt et iudeos a gentilibus sacerdotes a iudeis segregauerunt. Ita et nos hac ebdomada credentes ab incredulis segregamus et eos nostre religioni assignamus. De scrutinio.

Scrutinium a scrutando .i. ab inquirendo uel discutiendo dicitur.